

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Conuicium o (1)
cum fonte primo

Titus Tacius, maledicente sibi Metello,
facile est, inquit, in me dicere
cum non sim responsurus.

Tu, inquit, didicisti maledicere;
et ego, consciencia teste,
didici maledicta contempnere.
Et sicut tu, inquit, lingue tue,
sic ego aurium mearum sum dominus.

Ibidem (Seneca de sententiis oratorum
et Valerius Maximus libro VII).

Vnde et Aristippus a maledicente se discedens
dixisse legitur:

→ Vt tu linguae tuae,

sic ego mearum aurium dominus sum.

Antitanes quoque cuidam dicenti
“maledixit tibi”, ille non michi, inquit,
sed illi qui in se quod ille culpat agnoscit.
Sed etsi michi maledicere curet, non curo,
quia auditus lingua debet esse robustior,
cum singulis hominibus linguae sint singulae
sed aures binae.

Aliquatenus tamen curo,
quia eo ipso me fatetur esse superiorem,
quoniam superioris personae usus est,
detractionibus subiacere, inferioris inferre.
Gauderem itaque,
nisi urgente humanitate homini compaterer infelici.
Item Titus Tadius maledicenti sibi Metello,
facile, inquit, est in me dicere
cum nec sim responsurus.

Quid Xenofon?

Tu, inquit, cuidam maledicere didicisti
et ego consciencia teste
didici maledicta contempnere.

←

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM
118, K.S.B. Keats-Rohan ed., pp.221-2, ll.37-50).